Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8447
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

peruenire. Per d[ominum]. *Finita collecta con-
cludatur. et sic fiat per omnes
lecciones iuxta romanum ordinem
legende sunt lecciones.*
Noe vero cum quingentorum
esset annorum genuit sem cham
et iaphet. Cumque cepissent homines
multiplicari super terram. et fili-
os procreassent. uidentes filii dei
filias hominum quod essent pulchre
acceperunt uxores sibi ex omni-
bus quas elegerant. Dixit quo-
que deus. Non permanebit spiritus
meus in homine in eternum. quia ca-
ro est. eruntque dies illi centum
uiginti annorum. Gigantes
autem erant super terram in diebus
illis. Postquam enim ingressi sunt
filii dei ad filias hominum. illeque
genuerunt isti sunt potentes
a seculo uiri famosi. Videns
autem deus quod multa malicia ho-
minum esset in terra. et cuncta co-
gitacio cordis esset intenta
ad malum omni tempore. penitu-
it eum quod fecisset hominem in terra.
Et precauens in futurum et tactus
dolore cordis intrinsecus de-
lebo inquit hominem quem crea-
ui a facie terre ab homine usque
ad animancia a reptili usque ad
uolucres celi. penitet enim me
fecisse eos. Et dixit ad noe.
Finis uniuerse carnis uenit
coram me. repleta est terra
iniquitate a facie eorum. et ego
disperdam eos cum terra. Fac ti-
bi archam de leuigatis lig-
nis mansiunculas in archa
facies. et bitumine linies intrin-
secus et extrinsecus. et sic fa-
cies eam. Trecentorum cubito-
rum erit longitudo arche.
quinquaginta cubitorum latitu-
do. et triginta cubitorum al-
titudo illius. Fenestram in
archa facies. et in cubito con-
summabis summitatem eius.
ostium autem arche pones ex la-
tere deorsum. cenacula et tri-
stega facies in ea. Et ego ad-
ducam diluuii aquas super ter-
ram. ut interficiam omnem car-
nem in qua spiritus uite est subter
celum uniuersa que in terra sunt
consumentur. Ponamque fedus
meum tecum. et ingredieris in
archam. tu et filii tui uxor
tua et uxores filiorum tecum.
Et ex cunctis animantibus uni-
uerse carnis. bina duces in
archam. ut uiuant tecum
masculini sexus et feminini.
De uolucribus celi iuxta ge-
nus suum. et de iumentis in ge-
nere suo. et ex omni reptili
terre secundum genus suum.
Bina de omnibus ingredientur
tecum. ut possint uiuere. Tol-
les igitur ex omnibus escis
que mandi possunt. et com-
portabis apud te. et erunt
tam tibi quam illis in cibum.
Fecit igitur noe omnia que pre-
cepat illi deus. Eratque sexcen-
torum annorum quando diluuii aque
inundauerunt super terram. Rup-
ti sunt omnes fontes abyssi.